

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**Divina Inspiratio iuxta S. Thomae Aquinatis mentem.**

**Selecta ex bibliothecis et archivis.** De iure latinam linguam augendi novis vocabulis.

**Humiem spiritu suscipiet gloria!**

**Iudi puerorum apud Italos.** Aëream muscam lusitare.

**Epigraphica.**

**Colloquia latina.** Vestitus et deambulatio matutina.

**Pontificiae aedes Viterbiæ.**

**Acta Pontificia.** Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X Epistola Encyclica ad Archiepiscopos et Episcopos Americae latinae de conditione Indorum.

**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.** Ex Commissione de Re Biblica.

**Diarium Vaticanum.** Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita funeti viri clariores. — Varia.

**Annales.** — Bellum inter Italos atque Turcas. — Mauritanæ res.

**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**

**Per orbem.**

**Constantiniani paciféri decreti memoria latine in scenis acta.**

**Libri recens dono accepti.**

**Locl. Memori florentis aetatis. — E discipulo Magister.**

**Aenigmata.**

**Appendix; Anthea.**

## DIVINA INSPIRATIO IUXTA S. THOMAE AQUINATIS MENTEM

Tria Ecclesiae Concilia, Florentinum, nempe, Tridentinum et Vaticanum, de sacrorum librorum auctore, eorumdemque librorum inspiratione sermonem fecerunt. In Decreto siquidem pro Iacobitis, a Conc. Florentino lato, legitur (*Denz.*, 600): « Unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, legis et prophetarum atque evangelii profitetur auctorem: quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt ».

Concilium autem Tridentinum (*Sess. IV, De canon. Scripturis — Denz.*, 666) statuit « S. q. autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non suscepere..... a. s. ». Denique Vaticanum Concilium (*Sess. III c. 2 de Revel. — Denz.*, 1636) de libris sacris ait: « Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem ».

Sed quid sub « inspirationis » voce tria praefata Concilia significare voluerunt?

Paucis abhinc diebus Prof. Pope (1) fatebatur theologos, qui Conciliis Florentino, Tridentino necnon Vaticano interfuerunt, Scholasticos esse, librumque rursus, quem in suis adhibuerunt decisionibus uti ducem, Summam Divi Thomae Aquinatis fuisse. Facilius propterea ad divinae inspirationis intelligentiam perveniemus, si Scholasticorum *Principis* mentem circa eamdem divinam Inspirationem investigabimus.

Hisce omnibus fas est addere, quae F. Girerd ultimis scriptis temporibus (1), videlicet, quamvis multa circa divinae inspirationis indolem in lucem prodierint, nullum progressum esse habitum, fereque nos cogi in divinae inspirationis conceptu a S. Thoma olim tradito manere.

\*\*\*

Quae ex Doctoris Angelici scriptis nobis apparent, dum de prophetia sermonem habet (2), huiusmodi sunt: a) Omnia quae ad cognitionem pertinent, sub prophetia comprehendi possunt. — b) Prophetia secundario consistit in locutione, prout prophetae ea quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum annuntiant. — c) Ad prophetiam requiritur inspiratio, quantum ad mentis elevationem. Merito propterea quae ab Angelico praeceptore circa prophetiam scripta sunt, ad ipsammet Inspirationem extendenda esse videntur. Hinc:

I. — *Inspiratio*, mentis quaedam elevatio est, a Spiritu Sancto effecta. En Angelici verba: « In prophetia requiritur quod intentio mentis elevetur, ad percipienda divina. Unde dicitur Ezech. II, 1: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. — Haec autem elevatio intentionis fit Spiritu Sancto movente; unde ibidem subditur: Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos. Postquam autem intentio mentis elevata est ad superna, percipit divina ». (3)

II. — *Inspiratio*, intellectus necnon voluntatis scriptoris sacri, motio quaedam est. « Nec lumen prædictum, — inquit Angelicus, — (prophetia) remanet mente, nisi quando actualiter divinitus inspiratur. Et inde est quod sancti de prophetia loquentes, de ea per medium passionis loquuntur, dicentes eam inspirationem vel tactum quedam, quo Spiritus Sanctus dicitur tangere cor prophetæ..... Est quaedam vis (spiritus pro-

(1) *Annales de Philos. Chrét.* — Mars, 1904, p. 621.

(2) II-II<sup>æ</sup> p. q. CLXXI, a. 1, ad 4. *Lege etiam Prolog.*

(3) Ib.

phetiae) aut impressio a Deo illuminans et tangens corda prophetarum, et tunc solum quando sic tanguntur, cognoscunt... Requiritur quod intentio mentis elevetur... Sicut revelatio pertinet ad intellectum, ita inspiratio videtur pertinere ad affectum, eo quod importat motionem quamdam». (1)

III. — Motio haec intellectus, mentis quaedam illustratio est, in qua: a) scriptori sacro vel supernaturalis acceptio de iis quae ignota erant, vel de iis quae ipsi naturaliter nota erant, supernaturale iudicium datur; ita ut in scriptore sacro, ea quae naturaliter cognoscit scribente, divini luminis adiutorium semper habeatur. « Ea, - inquit Angelicus, - quae pertinent ad sapientiam et scientiam, et interpretationem sermonum, possunt naturali ratione ab homine cognosci: sed altiori modo manifestantur per *illustrationem* divini luminis..... Post perceptionem divinae locutionis, qua Prophetam alloquitur interius, quae nihil est aliud quam *mentis iustratio* ». (2)

b) Scriptori sacro vel supernaturalis acceptio de iis quae ignota erant, vel de iis quae ipsi nota erant, supernaturale iudicium datur. « Prophetia est quaedam supernaturalis cognitio. Ad cognitionem autem duo requiruntur; scilicet acceptio cognitorum et iudicium de acceptis... Quandoque igitur cognitio est supernaturalis secundum acceptiōē tantum, quandoque secundum iudicium tantum... Quandoque igitur in prophetia non est aliqua supernaturalis acceptio, sed iudicium tantum supernaturale... ; et talis forte fuit inspiratio Salomonis, in quantum de moribus hominum et naturis rerum, quae naturaliter accipimus, divino instinctu ceteris certius iudicavit. Quandoque vero est etiam acceptio supernaturalis... Hagiographae autem dicuntur qui supernaturaliter solum visiones intellectuales habuerunt sive quantum ad iudicium, sive quantum ad iudicium et acceptiōē simul ». (3)

c) In scriptore sacro, ea quae naturaliter cognoscit scribente, divini luminis adiutorium semper habetur. « Prophetae... propheticō officio fungebantur. Unde ex persona Domini loquebantur dicentes ad populum: Haec dicit Dominus, quod non faciebant illi qui hagiographa conscripserunt: quorum plures loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adiutorio tamen divini luminis ». (4)

III. In ipsa inspiratione, voluntatis motio, tactus quidam est, vel potius scriptoris sacri voluntatis impulsus, ad ea, de quibus vel supernaturalem acceptiōē, vel supernaturale iudicium habuit, vel quae naturaliter cognovit, scribenda; eoque scribenda modo, quo Deus vult, quin tamen scriptoris inspirati libertas minuatur. Ex Angelici Doctoris verbis praecitatis palam est in-

spirationem esse factum quemdam « quo Spiritus Sanctus dicitur tangere cor »; esse impressionem a Deo tangentem corda; pertinere « ad affectum eo quod importat motionem quamdam ». Cetera ex S. Thomae verbis modo afferendis nota fient. « Quum aliqua causa, — inquit Ipse — efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Quum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult ». « Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas; sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur: et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionaliter, unumquodque secundum suum modum ». (1)

IV. Deus, quamvis diversimode, simul cum scriptore ipso inspirato, auctor est libri inspirati; videlicet Deus *principalis*, scriptor vero inspiratus *secundarius*. « Operatio instrumenti attribuitur principali agenti, in cuius virtute instrumentum agit ». « Lingua mea calamus scribae. Hie ponitur auctor psalmi qui est lingua; quasi dicat: Non intelligatur quod ex proprio hunc fecerim, sed auxilio Spiritus sancti, qui utitur lingua mea, sicut scriptor utitur calamo. Et ideo principalis auctor huius Psalmi est Spiritus Sanctus. II. Reg. XXIII: Spiritus Domini locutus est per me, quasi per instrumentum: II. Pet. I: Non voluntate humana allata est sapientia, sed Spiritu Sancto ». (2)

V. Denique actio inspirativa supernaturalis est, scriptorique inspirato nonnisi per modum passionis cuiusdam transeuntis datur. Supernaturalis est, quia « prophetia est quaedam supernaturalis cognitio. Ad cognitionem autem duo requiruntur; scilicet acceptio cognitorum, et iudicium de acceptis... Quandoque igitur cognitio est supernaturalis secundum acceptiōē tantum, quandoque secundum iudicium tantum; quandoque secundum utrumque ». Per modum cuiusdam passionis datur, quia « lumen propheticum nonin est intellectui prophetae per modum formae permanentis; alias oportet quod semper prophetae adesset facultas propheetandi: quod patet esse falsum... Relinquitur ergo quod lumen propheticum insit animae prophetae per modum cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis ». (3)

Iuxta igitur Divi Thomae mentem, actio inspirativa tum intellectum tum voluntatem sacri scriptoris movet. Intellectum movet ipsum vel quoad ignota, vel quoad naturaliter cognita illustrando. Voluntatem movet, scriptorem sacram determinando ad ea quae ipse vel na-

(1) Id. de Verit. XII, 1; Corinth, I, c. XIV lect. VI; II-II<sup>ae</sup> p. CLXXI, a. I, ad 4.

(2) II-II<sup>ae</sup> p. CLXXIV, a. 2, ad 3..

(3) D: Verit. XIII, a. 7 et 12 ad 10.

(4) II-II<sup>ae</sup> p. CLXXIV a. 2, ad 3.

(1) I, p. XIX, 8. 2d de Mato, VI, a. un. ad 3.

(2) II-II<sup>ae</sup> p. q. 172; 2, ad 3; Expos. in psal. 44, 1.

(3) II-II<sup>ae</sup> p. 171, a. 2.

turaliter vel supernaturaliter cognoscit, atque ad ea eo modo scribenda, qui a Deo volitus est. Utraque tamen facultas, idest tum intellectus illustratus, tum voluntas determinata, dum tamquam causae secundae liberae agunt, in propria naturali activitate non offenduntur, sed actioni divinae taliter uniuntur, ut liber sacer conscriptus Dei inspirantis scriptorisque inspirati simul sit, eaque quae sunt Dei, eaque quae sunt hominis simul contineat.

\* \* \*

Falluntur propterea Modernistae, dum de inspiratione respondent: « Haec, ab impulsione illa, nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scripto aperiendam adigitur.

Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis sacrorum librorum ». (1)

Merito propterea Pius Papa X damnavit propositiones (IX<sup>am</sup> et X<sup>am</sup>), quae ita sonant: « Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae sacrae auctorem.

— Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo consistit quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam adspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt ».

REGINALDUS FEI O. P.

(1) Epistola *Pascendi*.

## SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS.

De iure latinam linguam augendi novis vocabulis

... Progredior, vir humanissime, ad alterum epistolae meae argumentum, demonstratus res nuper inventas novis appellandas esse nominibus. Recte quoque Franciscus Pomaeus (*Praefat. ad gallic. diction. reg.*) statuit, penuriam latinorum vocabulorum resarcierendam esse ex Graecia: id si fieri non possit, peregrina vocabula civitate donanda esse: posse etiam peregrinatatem interdum molliri, e. g. « tormenti genus, quod colubrinam (*eine Feld-Schlang*) vocant»; « navigium, quod Tartana vulgo dicitur».

Pari [atque auctores latini quondam] iure nobis fas est *Marchionem* dicere, *Ducem*, *Comitem*, *Landgravium*, *Cardinalem*, *Cancellarium*, *Mareschallum*; ac recte proinde Bembum inepta superstitionis accusat Io. Bodinus: « Bembus, — inquit, — puritatem dictionis ita consecutatur, ut verbis quidem parum latinis sed tamen ad significandum necessariis, uti nolit. Turcarum imperatorem regem Thraciae, quae vix centesima pars est eius imperii, et Mediolani Dueem regem quoque

vocat, id quidem latine, sed non satis, opinor, ad id, quod decuit, accommodate». Rectius fecerunt, qui novis rebus nova sunt ausi nomina imponere. Nec reprehendendum duco Hubertum Languetum qui *thalerum* (*ein taler*) dixit: quamquam idem alio loco rectius tales nummum vocavit *Ioachimicum*, veterum imitatione, qui *Philippicos* dixerat atque *Daricos*. Laude quoque dignum iudico Io. Serratum, quod *fregattam* dicere ausus est, itemque *caraquam*, quae sunt gallica navigiorum diversi generis nomina. Sic quum novorum armorum genus sit *bombarda*, novum etiam hoc nomen merito probatum est viris doctissimis. Ergo non vereamur dicere *flintam*. Nam quod Erasmus dixit *ballistam chalybeam*, teli illius, quod *eine flinte* vocatur, ideam non satis repraesentat animo lectoris. Audeamus etiam dicere *musquetam* sive *musquetum*, quod facere iam ausus est Gabriel Naudaeus. Dicere quoque fas sit *pistolam*. Nam « machinula equestris », qua appellatione idem exprimere conatur Languetus, obscurissimam exhibet illius teli imaginem. Porro quem in modum Curtius dixit « Satrapas », nos quoque dicamus intrepide *Starostam*, *Vayvodam*, *Bassam*. Sic, quum veteres peregrina potuum nomina receperint, *celiam*, *zythum*, *cerevisiam*, (delirant enim, qui haec ex graeca lingua deducunt vel latina,) pari modo nobis uti licebit nominibus *theae*, *caffae*, *chocolatae*. Hac de causa et lubentius dico *tabacum*, quam *herbam nicotianam*. Illa cautio in hac novorum fictione nominum adhibenda est, ut τὴν ἀνυλογίαν sequamur religiose, ne novitas dura sit atque illempida. Ac recte Beemannus, uti *organicen* (*ein organist*) dici vult, ad modum vocis *tibicen*, sic reiicit vocem *typographiae* pro officina, in qua libri typis exscribuntur, mavultque *typographum*. E contrario nullo iure Dominicus Lazzarinus reprehendit Bartholomeum Germonium, qui dixerat *editorem libri* pro eo, qui librum prelo subiicit typisque exprimentum curat. Quum enim haec libros transcribendi ars ignota olim fuerit, nunc omnino novum oportet usurpari vocabulum. Analogia autem magno praesidio est ei, quod attulimus, quum etiam Quintilianus non multum diversa notione dixerit *editionem libri*.

Ex his, quae dixi, duo fluunt canones critici. Primus hic esto: In stilo philosophico aliarumve disciplinarum licet usurpare vocabula olim vel plane inusitatia; vel saltem alia usurpata notione, si modo ex purioris latinitatis fontibus non possit aliud hauriri vocabulum eandem rem pari modo exprimens. — En alterum: In vita communi licet peregrinas voces civitate latina donare, modo nullum in promptu sit vocabulum antiquae latinitatis, quo res possit aequa exprimi. Ideo non licet *dragonios* dicere vel *dragoneros*; nam ex Curtio dici debent *dima hae*.

Unde nec Erasmus satis causae videtur habuisse, cur bis in eodem colloquio (tit. *Cyclops* sive *Evangeliphorus*) diceret *halbardacham*. Nam *bipennis* idem (nempe *eine helparte*) significat.....

(Ex *Epistola critica de iure latinam linguam augendi novis vocabulis*, quam perscripsit CHRISTOPHORUS AUGUSTUS HEUMANNUS Isenaci d. xxii mens. Iunii MDCCXIV).

\* \* \*

Quinctilianus sic loquitur, ut prorsus timiditatis argui possit: « Minime — inquit — nobis concessa est ὀνοματοποίia. Quis enim ferat? » Et alio loco: « Ὀνοματοποίia quidem, id est fictio nominis Graeci inter maximas habita virtutes nobis vix permittitur ». Quanto Priscianus rectius sentit, cuius verba, licet caute accipienda sint, digna tamen iudico, quae heic legantur. Is ergo ita infit: « Non incongruum vel absonum mihi videtur, posse verba quoque ex his ipsis ad similitudinem eorum quibus usa est auctoritas proferre. Quid enim impedit nos quoque aliquid copiae ad opulentiam latinae conferre eloquentiae, et ad imitationem, armō et armorū armatus dicere, tunico et tuniceorū tunicatus? Si enim auctoribus timiditas obstisset, ut nullis novis uterentur dictionibus, ipsa natura et significatione rerum exigente, perpetuis latinitatis angustiis damnata mansisset ». Id vero concedo, si penuria verborum hoc postulet, alias minime. Quid? quod maior Plinius, qui non diu ab Augusti obitu vixit, in naturali historia (quam « gravitate stili eximia notabilem » Boeclerus dixit) multis rebus ex tot disciplinis artibusque petitis, quum alia non suppeteret ratio, novas externas barbarasque tribuere appellations coactus est, id quod nec ipse infinitatur. Placent de eodem argumento Ioachimi Langii verba, quae exstant in praefatione eius libri, quem de stilo latino scripsit: « Voces, — inquit, — ecclesiasticae in argumento sacro tolerantur excusati. Ipse enim Cicero, si apostolorum vixisset aetate, Christoque dedisset nomen, eiusmodi voces ac locutiones procul dubio civitate latina donatas in deliciis habuisset. Id quod generatim notandum est contra nimios antiquitatis admiratores, qui voces ecclesiasticas promiscue omnes fastidiunt, latineque ac simul obscure loqui, immo, si desit vocabulum pure latinum, plane tacere malunt quam cum Christianis more loqui christiano. Christi cultoribus quod licet in argumento sacro, idem (ut de philosophis nihil dicam) nonnunquam permissum est artificibus, qui praeter vocabula sua peculiaria non possunt non rebus seu inventis novis nova interdum nomina induere. Quae igitur res latina appellatione destitutae sunt, earum nomina a graecis scriptoribus adsciscenda. Quodsi nec a Graecis quidquam opis sperandum, de novis cogitandum vocabulis est. Ubi hoc quam maxime tenendum, ne illa a regulis linguae communibus nimis aliena sint. Dispiciendum vero est, utrum ex latino auctore suppetat vox antiqua quae in usum revocari possit, quamvis alio ibi significatu occurrat. Ita quum Plautus aliique, quod ad urbem pertineret non semel *urbanum* dixissent, coeptum inde Ciceronis temporibus *urbanus* dici pro eo, qui morum elegantia reliquis antecelleret. Sic instrumenta bellica, quibus

moenia concutiuntur, hodie satis latine *machinas tormentave* dixeris. Quodsi unica vox minus sufficiat ad vim rei exprimendam, videndum, quid descriptione possimus, eaque clara et perspicua. Ita malim dicere: *maior regni anglicani senatus*, — *minor regni senatus* quam *superius parliamentum*, — *inferius parliamentum*; *pontifex maximus* seu *antistes romanus* pro *papa*: (nam *pontifex summus* proprius ad ecclesiae latinitatem accedit): *velata virgo pro monialis*: et cum Manutio *orationis ambitus* pro *contextus*. Nisi vero descriptio ita evidens sit, ut tum ipsa, tum ambitus verborum rem significatam statim repraesentet, praestat omnino barbarae quam obscure loqui. Quocirca haud inscite dictum a Ludovico Vive est: « Etiam soloecissandum et barbarissandum, si res ita exigat. Satius est verbi facere iacturam quam rei ». Denique in adhibendis vocibus prorsus peregrinis atque factis, itemque graecis, cum primis si minus tritae non sint, minime praetermittendas duco eas formulas, quibus duriter dicta aliquantum leniri possunt; quas vel romanae parens eloquentiae non negligendas putavit. Hae vero sunt: *Ut nunc loquimur, - ut ita dicam, - vix enim audes dicere.* Soleo ego libenter discipulis meis ad hunc usum Christophori Cellarii historiam novam commentare, in qua vir de elegantioribus litteris immortaliter meritus praecclare multa a priscis hominibus ignorata puriore induit latinitate ac genium antiquitatis spirante; retentis compluribus vocibus christiana rei propriis, itemque aliis, quarum permutatio minus commoda fuisset.

(Ex responsione redditā a M. Io. TOBIA, Schleusingae, xvii kal. Sextil. MDCCXIV).

Ad *Vocem Urbis* misi  
V. HERTEL.

## HUMILEM SPIRITU SUSCIPET GLORIA!

*Fulcite me floribus, stipate me malis,*  
(Cant. II, 5).

*Ave, quietis cui volutus flexibus*  
*Subridet fluvii margine, iunce, latex!*  
*Dum luscinia sub fronde circinat melos,*  
*Flexilis exurgis. Te neque stagna tenent,* •  
*Neque conticentis lama lymphae: cinnami*  
*Munere ripa hilarem te nemorosa replet.*  
*Voces apage sed has fluenti, quod mori*  
*Se potius blaterat, quam procul esse. Viden?*  
*Pingui rosa pudens quae rubebat cespite,*  
*Heu! solita errantis flege lutosa dolos!*  
*Ah! multa labris applicarunt flosculi*  
*Lymphae; flos refugis oscula multa dedit.*

*His mane primo lusit... ulnis pendula  
 Vespe purpureas perdidit ipsa comas.  
 Tu mitis undae siste: complexu tuae  
 Haud patere evelli stirpis, aquisque rapi.  
 Vates futura, iunce, pandam quae tibi  
 Victor obvenient praemia. Vix croceis  
 Eos capillis emicans subrideat,  
 Te ad sedes gremio blanda puella geret.  
 Veterum neque gemas cantilenarum memor!  
 Laelius os recr at, suavior afflat odor  
 Te, care iunce!... Virginis tenellu'a  
 Texere quid pulchrum iam manus arte parat.  
 Digitis retorquet candidis te in parvulum,  
 Ne minimum doleas sedula, reticulum.  
 Filum, n elos dum labra spirant, sericum  
 Ut maculas sentis molle ligare tuas,  
 Et delicatas flectere in lacinias,  
 Comet quas splendens murice taeniola!  
 Gaudent ocelli conspicato virginis,  
 Iunce, decore operis; sint labra grata tuis.  
 Dum flet rosa dolis capta, tu cistellula  
 Factus es, artificis clara pupilla tuae.  
 O, ferte opellae, quae renidet, hortuli,  
 Lilia cum violis, chrysocomasque, rosas;  
 Calthas geraniis, nexiles chrysanthemis  
 Cedite narcissos... oscula virgo dabit.  
 Vel si placuerit, e sinu, cistellula,  
 Regina hortorum prodiga fundat opes,  
 Et aureo det cornu apyrina et pira,  
 Mespila cum cerasis, persica, mala, botros.  
 Ave, quietis cui volutus flexibus  
 Subrisit fluvii margine, iunce, latex!  
 Tenuis vigescit cordis ad rivum mei  
 Fibra, tuae fervens aemula sortis. Ea  
 Textam, o faciant Gratiae! cistellulam  
 Floribus et teneris fructibus usque beent!  
 Romae.*

THOMAS VIGNAS, S. P.

**Errata corrigere.** — In carmine ROMA, quod superiore mense editum est, duo irreperunt typographi errores sic emendandi:

Pag. 120, col. 1 versus quintus et sextus, praepostere locati, ita sunt legendi:

Tum se coniicit in rhedam, qua ductus ad ipsa  
 Sancta Petri delubra... nihil nisi cogitat illud..., etc.  
 Et in col. 2 versus vigesimo secundo, lege... civis et hospes.

## LUDI PUERORUM APUD ITALOS.

### Aëream muscam lusitare

Aestivo hoc tempore, vires incredibili pene calore deficiunt, et ipse bos sub tegmine fagi « patulis captat naribus auras ». Et senex, latus in umbra, vult aliquantis per somno indulgere... In proximis aedibus est puerorum collegium, qui studiorum periculis nuper factis feliciterque in urbe superatis, rusticaturi convenerunt, ibique ferias autumnales transigere autumant. Sed iuvat identidem iocis animum a studiis relaxare, deambulationibus, novosque ita spiritus recipere ac vitalibus auribus vesci.

Nunc de prandio, ne nimis clamor proximos habitantes vexet ac deterreat, parvulus puerorum globus, hilaris, alacer, facetus, totus est ut una simul tempus quodammodo terat, et solatiis demum antea propter quotidianos scholarum labores desperditis, reficiatur.

Ad haec, eorum omnium admiratione, « calyi momordit musca nudatum caput »; qui, subito parvi animantis aculeo expergefactus, eum alapa percutere studet.... Quo facto omnes illi bellule subridentes inter se illud Phaedri praedicare: « Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem ! »

Tunc hilari clangore sonant, et omnes, veluti ex composito exclamant: *Aëream muscam lusitare placet!*

At magister prohibuit quominus, ipso absente, quid faciant praeter ordinem. Sed unus primum, deinde alter, mox decem clamitare: « Magister haud ita cito redibit, ut nos citra periculum ludere possimus ».

Cito ad rem ventum est.

— Quid est aëream muscam lusitare?

— Ita sese hic ludus habet.

Est sorte statutus, qui fasciola redimitus, et in media schola vel platea positus, veluti ariolus, manu ductus, illuditur atque urgetur, ut hunc aut illum lachio capere possit, eumque de facie, de forma, de veste nocitet. Si divinando fallit, dux ioci eum iterum circumducit, dum socii laetantes, vel etiam leviter manibus tentantes ac vellicantes, dicunt: « Ducimus coecum libere; si quis eum vult accipiat. Semel,... bis,... ter,... vade quocumque lubet ! »

Tunc ire incipit: primum nutat, mox progreditur securius... Haud raro complures rerum novitates occurunt, quae maximam cunctis hilaritatem ac voluntatem generant. Interdum, qui industrius est, omnesque tunc temporis inter ludendum ingenio pollent, se se novis lepidisque sicophantiis exornant, ne casu possit cognosci, obviusque coeco fit; et magis magisque solarium exoritur, percrebret, ob nimiam personarum diversitatem atque repugnantiam. Tunc fasciis amotis videbit coecus atque perspiciet quam longe a veritate perridicule abierit.

Terque quaterque res incipit; et ne rerum experientia doctus, in rectam partem incedere possit, in

gyrum ducitur, atque inter socios iocose clamantes atque videntes, sui iuris esse permittitur. Hie cautius manu iter explorat, tentabundus utrum illue an alio incedat, ubi sperat adesse socios, qui taciti, subridentes... alii alio dilabuntur.

Dum vero ex hisce iocis magnam capiunt voluptatem, ecce ex improvviso magister, qui gravi supercilio, et nova rerum dispositione maxime commotus, ira exardescens, in medium scholam indignabundus sese proripit.

Omnis ad locum suum rapidissime currunt... Muta silet turba, terramque immota tuetur!...

Et coecus, silens et ipse, pedibus praetentans iter, et silentii causam ignorans, festinus progreditur, et nescius incurrit magistro.

Ut Vergilius de victore dicit: «Incubuit, voluitque manu convellere ferrum»; et puer maxima laetitia gestiens, captum manibus pertentat dicens: «Tenui eum! Tenui! Vici!» Tum vero magistri voce percussus, totisque artibus contremiscens, ut caeli in nubibus ignes terrificant animos, fasciola subito remota, incerto vultu, pectore contritus, stat in medio haesitans atque ultima quaeque pertimescit.

Quam brevi tempore hisce in terris ex maximo gaudio ad maestitiam ruimus!

In tot rerum angustiis, magister, postquam suos monuit ne vellent in posterum ita libertatem abuti, brevi sua absentia, molliter ipsis pepertit, ne aliquot levitate in planctum desineret iocus tam superne iucundus.

SUBALPINUS.

## EPIGRAPHICA

*A cl. socio nostro Marco Galdi accepimus, et libenter edimus:*

Abhinc aliquot dies in ephemeride romana, quae magnam habet auctoritatem et latius diffusiusque revolveritur, non sine quadam admiratione nonnulla epigrammatis latini conamina invenio et lego, ad id propositum inserta ut egregie factum *Henrici Milli* ducis, qui cum suis fortibus classiariis per noctem illunem audacter Hellespontum tentavit, digne commemoraretur.

Res profecto pulchra est et peropportuna, eisque viris qui in suis cogitationibus ad id praecipue intenderunt, habenda est gratia, utpote qui luculenter ostenderint Ausoniam gentem fortibus rebus commoveri et eas vel in aere vel in marmore inscriptas posteritati commendare velle, ut inde bene auspicari possit. Sed, si rem magnam digne commemorare volumus, scilicet id epigramma insribentes quod et ducem audacissimum eiusque cohorticulam celebret et patriam ipsam honoret, doleo id dicere minime mihi specimina hucusque pro-

posita probari. Quorum enim alia turgidiora, alia graciliora parumque apta ad rem videntur, alia denique — quod peius est quodque magis doleo, ne dicam irascor, — a latina lingua, idest ab optima latinitate, abhorrentia et a vero proprio epigraphice scribendi genere quam maxime remota. Quae cum ita sint, nonne potius honestiusque est certamen indicere (indicat summus et clarissimus studiorum moderator), in quo omnes ingenii vires perielitentur, ut inde optata inscriptio, universo plausu consalutata, erumpat?

Haec habui quae dicerem de epigraphica quaestione quae per hosce dies agitatur; videant alii, peritiores, considerentque num id opportune dixerim.

M. GALDI.

## COLLOQUIA LATINA

### Vestitus et deambulatio matutina.<sup>(1)</sup>

ALCESTES. — Festivissime nugator, precor tibi felicem hunc diem.

CAMILLUS. — Et ego tibi faustum noctem.

A. — Quaesio te, serio responde, si modo serio potes unquam loqui: quam horam censes nunc esse?

C. — Medium noctis, vel plus paullulum.

A. — In quo horologio?

C. — In meo domestico.

A. — Ubi tandem est tuum horologium domesticum? Tu ut horologium unquam habueris aut inspexeris, cui omnis hora est semper dormiendi edendi, ludendi; studendi vero nunquam!

C. — Atqui hic habeo horologium mecum.

A. — Ubi? Ostende.

C. — In meis oculis: vide, ut nulla vi apeririri possint. Fac, obdormiam rursus; obsecro, tace.

A. — Quamdiu putas te iam dormisse?

C. — Horas duas vel, ad summum, tres.

A. — Ter ternas.

C. — Qui fieri istud potest?

A. — Ludovice, in solario proximae turris contemplare, quaeo, quota sit hora.

C. — Apage solarium, quum sol nondum sit ortus.

A. — Ortus vero. Aperi fenestram istam vitream, heus! tu, Ludovice, ut verberet sol huius oculos suis radiis: plena sunt iam solis omnia et umbrae minores.

C. — Quid tibi est rei cum ortu solis et occasu? Sine illum priorem nobis surgere, cui maius est conficiendum iter diurnum. Ludovice, horam aspicio et in horologio machinali et in gnomone.

(1) Ex latinis colloquiis LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit moribus que aetatis nostrae aptavit I. F.

LUDOVICUS. — Utrumque sum intuitus, domine mi. In solario parum abest umbra a secunda linea; in horologio machinali digitus indicat horam paulo plus quintam.

C. — Quid narras? Aliud ergo agendum restat tibi, ut hoc ducas fabrum ferrarium qui forcipe disiungat has palpebras tam affixas: dic ei, revellendam esse e foribus seram aliquam, cuius sit amissa clavis.

L. — Ubinam habitat?

A. — Iste vero serio arcessat! Desine iam nubari, et surge.

C. — Surgamus tandem, quando ita obstinasti animo. Vah! Quam odiosus es, amice!

A. — Feliciter tibi procedat haec lux.

C. — Et tibi haec eadem et aliae quamplurimae laetae ac faustae. — Ludovice, afferto subuculum mundam; nam hanc iam totos sex dies gestavi.

L. — Visne hanc cum patagio et collari amylo rigidis?

C. — Iube famulam resuere abeuntem hunc orbiculum subuculae, et quidem filo serico.

L. — Non habet.

C. — Lineo igitur. Nunquam famula habet quod est opus; quod vero non est opus, affatim. Te vero, Ludovice, nolo ego esse divinatorem; exseque mandatum meum et renuncia, ne harioleris quid sit futurum. Excute pulverem e femoralibus concussu; hinc purga diligenter muscario illo setaceo. Dato subligaculum.

L. — Visne interulam laneam?

C. — Non; nam ex luce solis colligo diem fore calidum: sed cedo mihi thoracem illum cum tunica alba.

A. — Quid istuc rei est? Quoniam ire cogitas, ut tam ornes te praeter morem tuum, praesertim quum sit dies profestus?

C. — Hui!... Limbus hic femoralium est dissutus et diserptus. Ludovice, cura resarcendum; sed vide, ne assuantur deformes commissurae.

L. — Non poterit id perfici ante sesquihoram, domine.

C. — Affige ergo pro nunc aciculam.

L. — Mavis ocreas, an calceolos cum amenis?

C. — Hos, hos..... Alcestes, ne graveris mihi afferre pectinem eburneum, qui in arca prope te est.

A. — Accipe. — Quid agis? Hoc non est peccare, sed mulcere. Cedo pectinem.

C. — Neque istuc est pectere, sed radere aut verrere: credo habere te caput testaceum.

A. — Et ego te butyraceum, adeo non audes attingere. Prodeamus iam tandem, ne amittamus optimum deambulandi tempus.

C. — Expecta dum causia me tegam.

A. — O virum Sparta dignum!

C. — Sed tamen gaudeo me surrexisse! Exeamus urbe.

A. — Exeamus: ego hac tota hebdomade pedem porta non extuli. Sed quo ibimus primum?

C. — Ad pomoerium.

A. — Ecce tibi Emmanuel. Salvus sis, Emmanuel.

EMMANUEL. — Et vos plurimum. Quid isthuc est insolitus? Tam bono mane surrexistis?

C. — Ego vero arctissimo somno eram consopitus; sed Alcestes hic clamando et tundendo avellit me e lectulo.

E. — Recte fecit: nam totum te reficiet et recreabit haec deambulatio. Eamus ad pomoerium. O admirabilem et adorandum artificem tantae pulchritudinis! Non immerito vocatur opus hoc mundus, et a Graecis *cosmos*, quasi ornatus et elegans.

A. — Ne contente deambulemus, sed lente ac molliter. Conficiamus, quaeso, in hac moeniali ambulatione duo aut tria spatia, ut otiosius et liberius tam decoram speciem contemplemur.

E. — Attende; nullus est sensus, qui non egregia aliqua voluptate perfruatur: oculi primum. Quae varietas colorum, qui vestitus terrae et arborum! Qui tapetes, quae picturae comparari huic possunt? Haec sunt naturalia et vera, ista altera ficta et falsa. Non iniuria vates ille Hispanus Maium appellavit *pictorem mundi*. — Iam aures: Qui concentus avium et potissimum luscinae! Ausculta eam e salice, a qua (ut Plinius inquit) perfectae musicae scientiae modulatus editur sonus. Animadverte accurate, et adnotabis varietates omnium sonorum: nunc non interquiescit, sed continuo spiritu in longum aequalibilater, sine mutatione: nunc inflectitur: iam minutius et concisius canit: nunc intorquet et quasi crispat vocem: nunc extendit, iam revocat: alias longos concinit versus, quasi heroicos, alias breves, ut sapphicos. Quin etiam quasi musicae ludos et scholas habet! Meditantur aliae iuniores, versusque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magna (utinam nos praeceptrores nostros pari!) et reddit, vicibusque reticent. Intelligitur emendatae correctio, et in docente quaedam reprehensio. Sed illas dicit natura recta, nos voluntas prava. — Adde his: qui odor spirans undique ex pratis, sive ex segetibus, sive ex arboribus, etiam ex ipsis cessantibus et squallidis. Ceterum diximus de corpore. Quid porro animum et mentem! Quantopere exhilarat et excitat huiusmodi aurora! Nullum est tempus ad ediscendum aequem idoneum, nullum ad percipiendum continentumque quae audias quaeque legas, nec aliud ad meditandum et excogitandum, quocumque applicaris animum. Non immerito quidam dixit: *Aurora gratissima Musis!*...

## PONTIFICIAE AEDES VITERBII

Architectonicae artis insigne specimen sub oculis lectorum hodie ponimus, quod media quae dicitur aetas in nostra Italia produxit. Huiusmodi aedes, nobilissimum Viterbiensis civitatis monumentum, publicis impensis Rainerus Gatti, populi dux, an. MCCLXVI condidit, ut Romano Pontifici tutum commodumque praeberetur auxilium, quando intestinis perturbationibus aut hostium obsidionibus Urbem relinquere cogeretur. Haec leo, Viterbiensis civitatis signum, duaeque illae columnae demonstrant in summis scalis erectae, quae procul dubio huius generis emblemata alia sustentabant; haec aperte testatur inscriptio, quae super magno palatii ostio legitur:

*Rainerus Gattus, iam ter capitaneus actus,  
Edem papalem struit istam pontificalem.  
Hoc habeas menti, lector, quod mille ducenti  
Anni sexdeni currebant denique seni.  
Gatti, quos cernis currendo, solent dare saltum,  
Virtutes signant per quas concendit in altum.*

Labente saeculo XV, aedes misere admodum retractatae sunt, magnificaque scalae fronsque ipsa aedificii, novis superpositis structuris, ex hominum oculis fere omnino subtractae. Paucis tantum abhinc annis, veteris prospectus in fenestris ad ballistarii formam, atque in pulcherrimis latisque biforis intra muros occlusis, vestigia reperta sunt, quibus insistens Antonius Maria Grasselli, Viterbiensis episcopus, aetate atque ingenio adhuc venerandus, frontem omnem palatii suis impensis reficiendam curavit.

Tum Caesar Pinzi, Viterbiensis historiae illustrator clarissimus, apud sumnum publico cultui apud Italos provehendo administrum, auctor fuit ut adiacens quoque hypaetrum peristylum in integrum restitueretur. Opus, difficile euidem (namque de fatiscente omnino monumento agebatur), Iulio De Angelis architecto commissum est, qui summo studio difficiles staticae quaestiones resolvit, remque restituit, partibus mutilis aut deficienibus a Ioanne Nottola, Viterbiensi marmorario, antiquam artem sapienter imitato, optime suffectis.

Sic civium atque advenarum admirationi et magna haec eaque splendidissima pergula redditum est, quam Arturus Gatti, Raineri nepos, an. MCCLXVII construi voluit, ut inde Pontifex populo magna turba in platea sese urgenti sollemniter benedicret. (1)

Binae origine ei facies erant, similibus fortasse lineis descriptae; altera ad plateam, quae hodie integra conspicitur, altera ad subiectam vallem, quae aquilonaribus

(1) En inscriptio quae in peristylo de re legitur:

*Tunc erat Andreas, studio sum condita cuius,  
Beraldi protes, Terre Capitaneus huius,  
Cum sexaginta septem cum mille ducenti  
Currebant anni Domini sit nota legenti:  
Clemens quartus erat Romanus Papa beatus,  
Tertius erat ipsius annus Pontificatus.  
Nobile Viterbum, Britonum generosa propago  
Quid tibi fert operis speciosa signata imago.*

ventis maxime exposita, iam saeculo XIV in praeceps omnis lata erat: quo enim prospectus leviores magisque translucentes expedirentur, nullum iis tectum diciatur superinductum. Peralta trabeatio, audacter nimis in eleganti contextu deposita rotundorum areuum cum ogivalibus, rosis trilobisque decoris geminisque columellis suffultis, insignia plura praebet insculpta. Romana ecclesia dupli infula clavibusque cancellatim dispositis significatur; Imperium aquila extensis aliis; Gattorum gens scuto quinque ad horizontem septis diviso; Viterbiensis denique civitas leone intuente et hasta trifida. Octangula denique columna, magnum sustinens unicum arcum super quo peristylum erectum est, antlam profundissimi putei continebat, aquam aedibus suppeditantis.


Quis autem eventus commemoret qui in ipsis aedibus contigerunt? Clemens IV primus eas habitavit, in iisque recepit Carolum Andegavensem, Suevorum ruinae studentem, ac deinde Baldovinum, Byzantii iam regem, et Arrigum, Castellanensis regis fratrem, tricis suis ambitiosis ad eius pedes tractos; in iis Gregorius X electus est, qui tamen vix post mensem Romam migravit, ubi Pontificiam coronam recepit an. MCCLXXII.

Gregorii X electio in conclavi primum facta est, cuius ritus creandi Pontificis origo civibus Viterbiensibus quodammodo est tribuenda. Quum enim iam inde ab anno Sacer Senatus quotidie in cathedralem Viterbiensem ecclesiam ad novum pontificem creandum, acri discordia agitante animos, frustra conveniret, Viterbienses ut finem tanto Ecclesiae malo imponerent, adhortationibus quoque, uti fertur, Sancti Bonaventurae Balneoregensis impulsi, quadam die singulos illos pertinaces in sua cuiusque domo captos, in pontificias aedes deduxerunt, occlusisque ianuis omniq[ue] externa communione impedita, monuerunt se tum ex illo carcere esse tracturos quum summus pontifex fuerit renunciatus. Et quia, elapsis aliquot diebus, id nondum fiebat, cibum captivis minuere coeperunt, duriora minitantes. Frustra tamen. Tum Rainerus Gatti, quem populi ducem iam diximus, iussit detegi aulae tectum, in qua decem septemque illi Cardinales erant collecti, ut aestu, procellis, ventis alisque huius generis incommodis ad delectum ii cogerentur. Inde protestationes, anathematum et ipsius interdicti minae in civitatem; quibus territi Viterbienses ab omni coaretatione destiterunt. Periculum vero non sine aliquo fructu evasit. Gregorius namque, solemni constitutione in Lugdunensi concilio an. MCCLXXIV emissa, conclave ad Summum in posterum eligendum Pontificem edixit, iis adamassim cautionibus a Viterbiensibus adhibitis, conclusis scilicet atque ab omni externo commercio semotis Patribus Purpuratis, ac etiam ciborum progredienti immunitione alisque acerbitatibus, si foret ut induciae nimiae de re agerentur.

In Viterbienses aedes cum sua curia rediit Adrianus V, prope ad vitae finem adductus, ibique revera post aliquot mansionis dies obiit. Ioannes XXI, qui ei

successit, Viterbius electus et coronatus est, ibique pariter mortem oppetit, dormitorio, quod apposite sibi condiderat in extremo palatii latere, noctu ex improviso in imum delapso. Nicolaus III, pontifex ille fortis ac pugnacis animi, Ecclesiae regno hinc Flaminiam regionem adnexuit; Carolus hinc Andegavensem a Romani Senatoris officio depositus; qui, post eius obitum, ut decussum imperium suum instauraret, Viterbius contendit armata manu, pontificiam domum oppugnavit, indeque raptis atque in carcerem detrusis Purpuratis Patribus Latino Malabranca, Iordanu ac Mattheo de

ad annum circiter MCCCC perdurarunt, quando, fusis omnino De Vico illis Comitibus, qui, Ghibellinis faventes, horum auxilio tyrannidem Viterbius pro se constituerant, Bonifacius IX rei publicae dominum ipsi sponte a Viterbiensibus oblatum accepit; eiusque successores Innocentius VII et Gregorius XII, Romanas seditiones fugientes, in eam sedem reverterunt, quae temporum iniuria pessumdata, reparata nuper ac munita fuerat. In ipsam confugit quoque Ioannes XXIII, ab exercitu Ladislai, Neapolitani regis, exagitatus; qui tamen mense Iulio MCCCCII Viterbius potitus est.



Pontificia aedes Viterbiæ instauratae.

Ursinis, qui ei obstabant, auctor praeceps fuit ut Pontifex eligeretur Martinus IV, Gallus natura languidus, quem sibi facile addixit, Viterbioque deduxit.

Pontificium Viterbiense palatum inde per annos sex supra octoginta desertum a Romana curia remansit. Urbanus V, Avenione redux, an. MCCCCLXVII, aliquot menses Viterbius moratus est, ubi quo partium studium inter cives tum processerit re cognovit. Quum enim quadam die rixa quaedam futili ex causa orta esset, ad eamque nonnulli Cardinalium famuli accurrisserint, tantum inde incendium exarsit, ut plebs saxis atque telis domicilia petierit Purpuratorum Patrum, quorum uni, qui obviam forte occurrit, gravissimam intulit iniuriam.

Internaे huiusmodi discordiae cum civitatis iactura

Saevi atque infesti anni iterum sequuti sunt, eoque magis quod, schismate in Romana ecclesia debacchante, audaci cuiilibet eas terras depopulari facile esset, quas certa nulla dominatio tueretur. At vero per Constantiense concilium pace Ecclesiae restituta, Martinus V, Viterbiensium iam pridem amicus, quietam ac tranquillam vitam per animorum concordiam civitati tandem procuravit, validam opem ferentibus sanctis praeconibus Bernardino Senensi et Fratre Francisco Viterbiensi, ipsius civitatis incola.

Ex eo tempore ad annum usque MDCCCLXX Viterbius in Romanorum Pontificum ditione permansit, quos tamen haud nobis constat diutius in aedibus pro ipsis fabricatis esse commoratos; quae sedes dioecesani episcopi factae, huic adhuc non indignum praebent domicilium.

# ACTA PONTIFICIA

**Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X  
Epistola Encyclica ad Archiepiscopos et Episcopos  
Americae Latinae**

## DE CONDITIONE INDORUM.

Lacrimabili statu Indorum ex inferiori America vehementer commotus, decessor Noster illustris, Benedictus XIV, gravissime eorum causam egit, ut nostis, in Litteris *Immensa Pastorum*, die xxii mensis Decembris anno MDCCXLII datis; et quia, quae ille deploavit scribendo, ea fere sunt etiam Nobis multis locis deploranda, idcirco ad earum Litterarum memoriam sollicite Nos animos vestros revocamus. Ibi enim cum alia, tum haec conqueritur Benedictus, etsi diu multumque Apostolica Sedes revelandae horum afflictæ fortunæ studuisse, esse tamen etiamtum « homines « orthodoxæ Fidei cultores, qui veluti caritatis in cor- « dibus nostris per Spiritum Sanctum diffusæ sensuum « penitus obliti, miseros Indos non solum Fidei luce « carentes, verum etiam sacro regenerationis lavaero « ablutos, aut in servitutem redigere, aut veluti man- « cipia aliis vendere, aut eos bonis privare, eaque in- « humanitate cum iisdem agere præsumant, ut ab am- « plectenda Christi fide potissimum avertantur, et ad « odio habendum maximopere obfirmentur ». — Harum quidem indignitatum ea quae est pessima, id est servitus proprii nominis, paullatim postea, Dei miserentis munere, de medio pulsa est: ad eamque in Brasilia aliisque regionibus publice abolendam multum contulit materna Ecclesiae instantia apud egregios viros qui eas Republicas gubernabant. Ac libenter fatemur, nisi multa et magna rerum et locorum impedimenta obstitissent, eorum consilia longe meliores exitus habitura fuisse. Tametsi igitur pro Indis aliquid est actum, tamen multo plus est quod superest: Evidem cum seclera et maleficia reputamus, quae in eos adhuc admitti solent, sane horremus animo summaque calamitosi generis miseratione afficimur. Nam quid tam crudele tamque barbarum, quam levissimas saepe ob causas, nec raro ex mera libidine saeviendi, aut flagris homines lamicisque ardentibus caedere; aut repentina oppressos vi, ad centenos, ad millenos, una occidione perimere; aut pagos vicosque vastare ad internectionem indigenarum: quorum quidem nonnullas tribus accepimus his paucis annis prope esse deletas? Ad animos adeo efferandos plurimum sane valet cupiditas lucri; sed non paullum quoque valet caeli natura regionumque situs. Etenim, cum subiecta ea loca sint austro aestuoso, qui, languore quodam venis immisso, nervos virtutis tamquam elidit; cumque a consuetudine religionis, a vigilantia Reipublicae, ab ipsa propemodum civili consortione procul absint, facile fit, ut, si qui non perditis moribus illuc advenerint, brevi tamen depravari incipient, ac deinceps, effractis officiis iurisque repagulis, ad omnes immani-

tates vitiorum delabuntur. Nec vero ab istis sexus aetatisve imbecillitati parcitur: quin imo pudet referre eorum in conquiriendis mercandisque feminis et pueris flagitia atque facinora; quibus postrema ethnicae turpitudinis exempla vinci verissime dixeris. — Nos equidem aliquandiu, cum de his rebus rumores afferrentur, dubitavimus tantæ atrocitati factorum adiungere fidem: adeo incredibilia videbantur. Sed postquam a locupletissimis testibus, hoc est, a plerisque vestrum, Venerabiles Fratres, a Delegatis Sedis Apostolicae, a Missionalibus aliisque viris fide prorsus dignis certiores facti sumus, iam non licet Nobis hic de rerum veritate ullum habere dubium. — Iam dudum igitur in ea cogitatione defixi, ut, quantum est in Nobis, nitamur tantis mederi malis, prece humili ac supplici petimus a Deo, velit benignus opportunam aliquam demonstrare Nobis viam medendi. Ipse autem, qui Conditor Redemptorque amantissimus est omnium hominum, cum mentem Nobis iniecerit elaborandi pro salute Indorum, tum certo dabit quae proposito conducant. Interim vero illud Nos valde consolatur, quod quiescas Respublicas gerunt, omni ope student insignem hanc ignominiam et maculam a suis Civitatibus depellere: de quo quidem studio laudare eos et probare haud satis possumus. Quamquam in iis regionibus, ut sunt procul ab imperii sedibus remotae ac plerumque inviae, haec, plena humanitatis, conata civilium potestatum, sive ob calliditatem maleficorum qui tempori confinia transeunt, sive ob inertiam atque perfidiam administratorum, saepe parum proficiunt, non raro etiam in irritum cadunt. Quod si ad Reipublicae operam opera Ecclesiae accesserit, tum demum qui optantur fructus, multo exsistent ubiores. — Itaque vos ante alias appellamus, Venerabiles Fratres, ut peculiares quasdam curas cogitationesque conferatis in hanc causam, quae vestro dignissima est pastorali officio et munere. Ac cetera permittentes sollicitudini industriaeque vestrae, hoc primum omnium vos impense hortamur, ut quaecumque in vestris dioecesis instituta sunt Indorum bono, ea perstudiose promoveatis, itemque curetis instituenda quae ad eamdem rem utilia fore videantur. Deinde admonebitis populos vestros diligenter de proprio ipsorum sanctissimo officio adiuvandi sacras expeditiones ad Indigenas, qui Americanum istud solum primi incoluerint. Sciant igitur duplii praesertim ratione se huic rei debere prodesse: collatione stipis et suffragio precum; idque ut faciant non solum Religionem a se, sed Patriam ipsam postulare. Vos autem, ubicumque datur opera conformandis rite moribus, id est, in Seminariis, in ephebeis, in domibus puellaribus maximeque in sacris aedibus efficite, ne unquam commendatio praedicatioque cesseret caritatis christiana, quae omnes homines, sine ullo nationis aut coloris discrimine, germanorum fratrum loco habet; quaeque non tam verbis, quam rebus factisque probanda est. Pariter nulla praetermitti debet, quae offeratur, occasio demonstrandi quantum nomini christiano dedecus asper-

gant hae rerum indignitates, quas hic denunciamus. — Ad Nos quod attinet, bonam habentes non sine causa spem de assensu et favore potestatum publicarum, eam praecipue suscepimus curam, ut, in ista tanta latitudine regionum, apostolice actionis amplificemus campum, aliis disponendis Missionarium stationibus, in quibus Indi perfugium et praesidium salutis inveniant. Ecclesia enim catholica nunquam sterilis fuit hominum apostolicorum, qui, urgente Iesu Christi caritate, prompti paratiique essent vel vitam ipsam pro fratribus ponere. Hodieque, cum tam multi a Fide vel abhorrent, vel deficiunt, ardor tamen disseminandi apud barbaros Evangelii non modo non inter viros utriusque Cleri sacerdotumque virgines remittitur, sed crescit etiam lateque diffunditur, virtute nimirum Spiritus Sancti, qui Ecclesiae, sponsae suae, pro temporibus subvenit. Quare his praesidiis quae, divino beneficio, Nobis praesto sunt, oportere putamus eo copiosius uti ad Indos e Satanae hominumque perversorum servitute liberandos, quo maior eos necessitas premit. Ceterum, cum istam terrarum partem praecones Evangelii suo non solum sudore, sed ipso nonnunquam cruento imbuerint, futurum confidimus, ut ex tantis laboribus aliquando christianaे humanitatis laeta messis efflorescat in optimos fructus. — Iam, ut ad ea, quae vos vel vestra sponte vel horatu Nostro acturi estis in utilitatem Indorum, quanta maxima potest, efficacitatis accessio ex apostolica Nostra auctoritate fiat, Nos, memorati Decessoris exemplo immanis criminis damnamus declaramusque reos, qui cumque, ut idem ait, «praedictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere, commutare vel donare, ab uxoribus et filiis separare, rebus et bonis suis sposi liare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere; nec non praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et operam quocumque praetextu et quae sit colore praestare, aut id licitum praedicare seu docere, atque alias quomodolibet praemissis cooperari audeant seu praesumant». Itaque potestatem absolvendi ab his criminibus poenitentes in foro sacramentali Ordinariis locorum reservatam volumus.

Haec Nobis cum paternae voluntati Nostrae obsequentibus, tum etiam vestigia consequentibus complurium e Decessoribus Nostris, in quibus commemorandus quoque est nominatim Leo XIII fel. rec., visum est ad vos, Venerabiles Fratres, Indorum causâ, scribere. Vestrum autem erit contendere pro viribus, ut votis Nostris cumulate satisfiat. Fauturi certe hac in re vobis sunt, qui Respublicas istas administrant; non deerunt sane, operam studiumque navando, qui de Clero sunt, in primisque addicti sacris Missionibus; denique aderunt sine dubio omnes boni, ac sive opibus, qui possunt, sive aliis caritatis officiis causam iuvabunt, in qua rationes simul versantur Religionis et humanae dignitatis. Quod vero caput est, aderit Dei omnipotentis gratia; cuius Nos auspicem itemque benevolentiae Nostrae te-

stem, vobis, Venerabiles Fratres, gregibusque vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VII mensis Iunii MCMXII, Pontificatus Nostri anno nono,

PIVS PP. X.

## EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

### SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

#### Ex Commissione de Re Biblica.

*De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangeliorum secundum Marcum et secundum Lucam.*

I. — Luculentum traditionis suffragium inde ab Ecclesiae primordiis mire consentiens ac multiplici argumento firmatum, nimirum disertis sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, citationibus et allusionibus in eorumdem scriptis occurrentibus, veterum haereticorum usu, versionibus librorum Novi Testamenti, codicibus manuscriptis antiquissimis et pene universis, atque etiam internis rationibus ex ipso sacrorum librorum textu desumptis, certo affirmare cogit Marcum, Petri discipulum et interpretem, Lucam vero medicum, Pauli adiutorem et comitem, revera Evangeliorum quae ipsis respective attribuuntur esse auctores.

II. — Rationes, quibus nonnulli critici demonstrare nituntur postremos duodecim versus Evangelii Marcii (MARC., XVI, 9-20) non esse ab ipso Marco conscriptos sed ab aliena manu appositos, tales sunt quae ius trahunt affirmandi eos esse ut inspiratos et canonicos recipiendos, neque demonstrant versuum eorumdem Marcum non esse auctorem.

III. — Dubitare pariter non licet de inspiratione et canonicitate narrationum Lucae de infantia Christi (LUC., I, II), aut de apparitione Angeli Iesum confortantis et de sudore sanguineo (LUC., XXII, 43-44); neque solidis rationibus ostendi potest — quod placuit antiquis haereticis et quibusdam etiam recentioribus criticis arridet — easdem narrationes ad genuinum Lucae Evangelium non pertinere.

IV. — Rarissima illa et prorsus singularia documenta in quibus Canticum *Magnificat* non beatæ Virginis Mariae, sed Elisabeth tribuitur nullo modo praevalere possunt ac debent contra testimonium concors omnium fere codicum tum graeci textus originalis tum versionum, neconon contra interpretationem quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans Ecclesiae traditio.

V. — Quoad ordinem chronologicum Evangeliorum ab ea sententia minime recedere fas est, quae, antiquissimo aequo ac constanti traditionis testimonio roborta, post Matthaeum, qui omnium primus Evangelium suum patrio sermone conscripsit, Marcum ordine se-

cundum et Lucam tertium scriptis testatur; neque huic sententiae adversari vicissim censenda est eorum opinio quae asserit Evangelium secundum et tertium ante graecam primi Evangelii versionem esse compositum.

VI. — Tempus compositionis Evangeliorum Marci et Lucae usque ad urbem Ierusalem eversam differre non licet, neque, eo quod apud Lucam prophetia Domini circa huius urbis eversionem magis determinata videatur, ipsius saltem Evangelium obsidione iam inchoata fuisse conscriptum sustineri potest.

VII. — Affirmari debet Evangelium Lucae praesessisse librum *Actuum Apostolorum* (*Act.*, I, 1-2); et quum hic liber, eodem Luca auctore, ad finem captivitatis Romanae Apostoli fuerit absolutus (*Act.*, XXVIII, 30-31) eiusmodi Evangelium non post hoc tempus fuisse compositum.

VIII. — Prae oculis habitis tum traditionis testimoniis, tum argumentis internis, quoad fontes quibus uterque Evangelista in conscribendo Evangelio usus est, in dubium vocari prudenter nequit sententia quae tenet Marcum iuxta praedicationem Petri, Lucam autem iuxta praedicationem Pauli scriptis; simulque asserit iisdem Evangelistis praesto fuisse alios quoque fontes fide dignos sive orales sive etiam scriptis consignatos.

IX. — Dicta et gesta, quae a Marco iuxta Petri praedicationem accurate et quasi graphicè enarrantur, et a Luca, *assecuto omnia a principio diligenter* per testes fide plane dignos, quippe qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis (*Luc.*, I, 2-3), sincerissime exponuntur, plenam sibi eam fidem historicam iure vindicant quam eisdem semper praestitit Ecclesia; et contrario eadem facta et gesta censenda non sunt historica veritate, saltem ex parte, destituta, sive quod scriptores non fuerint testes oculares, sive quod apud utrumque Evangelistam defectus ordinis ac discrepantia in successione factorum haud raro deprehendantur, sive quod, quum tardius venerint et scripserint, necessario conceptiones menti Christi et Apostolorum extraneas aut facta plus minusve iam imaginatione populi inquinata referre debuerint, sive demum quod dogmaticis ideis praecognitis, quisque pro suo scopo indulserint.

(Die xxi mens. Iunii MCMXII).

*De quaestione synoptica sive de mutuis relationibus inter tria priora Evangelia.*

I. — Servatis quae iuxta praecedenter statuta omnino servanda sunt, praesertim de authenticitate et integritate trium Evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae, de identitate substantiali Evangelii graeci Matthaei cum eius originali primitivo, necnon de ordine temporum quo eadem scripta fuerunt, ad explicandum eorum ad invicem similitudines, inter tot varias oppositasque auctorum sententias, licet exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis vel etiam

dependentiae unius a praecedenti seu a praecedentibus appellare.

II. — Ea quae superius statuta sunt ii minime servare censeri debent, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico arguento, facile amplectuntur hypothesim vulgo *duorum fontium* nuncupatam, quae compositionem Evangelii graeci Matthaei et Evangelii Lucae ex eorum potissimum dependentia ab Evangelio Marci et a collectione sic dicta sermonum Domini contendit explicare; nec proinde eam libere propugnare valent.

(Die xxvi mens. Iunii MCMXII).

## DIARIUM VATICANUM

(Mense Augusto MCMXII).

### Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Christina Honorati, Marchionissa; Pearli, Marchio; De Cassano Zurina, Princeps, eiusque familia; De Charette dynasta; manus peregrinorum ex Peruviana civitate; Massimo, Urbanus Princeps; Stolberg Comitissa, eiusque filia; Chiassi, Comes, cum uxore et liberis; Camillus Rospigliosi, Urbanus Princeps, Pontificiae nobilium stipatorum cohortis praefectus; De Montpensier, Dux; aliquot peregrinorum manus tum ex Italia, tum ex exteris gentibus.

### Pontificiae electiones.

Brevi apostolico nominati sunt: Archiepiscopus tit. Pharsal. et Coadiutor cum iure futurae successionis arch. Melburnensis r. d. Daniel Mannix, praeses collegii Maynoutensis in Hibernia; Episcopus Syren. r. d. Antonius Macrioniti, canonicus ecclesiae metropolitanae Smyrnæ; Episcopus pro Ruthenis in Canadensi regione degentibus et episcopus tit. Patarense r. d. Niceta Budka, Praefectus studiis in seminario episcopali dioec. Leopolitanae, rutheni ritus.

Illum. et revmus. dnus. Ioannes Dunne, episcopus Wilcannien., inter episcopos Pontificio solio adstantes refertur.

### Vita functi viri clariores.

Die xx mens. Augusti, Erlau, Hungarica in urbe, placide obit Purpuratus Pater **Josephus Samassa**, Agrien. Archiepiscopus. Historiae ac litterarum magister, plura Hungariae monumenta restituit; in egenos liberalis, ut eos omni beneficio afficeret maximopere intendit; iuris denique peritisimus Ecclesiae iura contra civilem potestatem acerrime adseruit. Natus erat Aranyos Maròt, archidiaconesis Strigoniensis. in oppido, d. xxx mens. Septembris MDCCXXVIII; episcopus Seepusien. creatus est d. xxvi mens. Iunii MDCCCLXXI; ad metropolitanam Agrien. promotus d. xxv mens. Iulii MDCCCLXXIII, in Sacrum Senatum cooptatus est d. xi mens. Decembr. MCMV, titulo S. Marci.

### Varia.

Die ix mens. Augusti in Xystino sacello Pontifica Capella habetur ad grates Deo agendas ob annum nonum a coronatione Pii X P. M. feliciter expletum.

# ANNALES

## Bellum inter Italos atque Turcas.

Titulus hic immutandus potius nobis esset; non enim belli vices hinc aut inde hodie occurunt speciali mentione dignae, sed bellici eventus inter ipsos Turcas proxime elapso mense agitati. Diximus iam, Iuvenum Turcarum factionem, quae tot malorum patriae causa fuit, e gubernio pulsam. Numne tantam iacturam ipsa facile tolerare poterat? Salonicum eius principes se conferunt, de amissio imperio recuperando tractant, a nullo execrando facinore, uti assolent, abhorrentes: itaque novorum Catilinarum coniuratio suspicione, militum seditiones, civium rebelliones excitat, novos administros ad publicae rei gubernacula abdicanda cogit ita, ut dici quidem possit ignorari quotidie quinam huic vel alteri praefecture sit praepositus. Hic rerum status Balkanicos populos eo magis impellit ut a Turcarum iugo sese redimant: hinc Albani in armis procedunt Uskubque urbe potiuntur; inde Arabes, ab illo Ydriss ducti, novas in suis regionibus victorias reportant; et Bulgari fremunt manus cum aemulis conserere, vixque a Caesare suo coercentur; et Nigri Montis incolae, in quorum civitates ad regni fines positas praecipue saeviit inhumana Turcarum ira, caedium ultionem alte repetunt. Inde factum est ut Berchtold Comes, Austrorum exteris negotiis praepositus, auctor apud exteris gentes fuerit, Turcico gubernio suadendi novam in imperio constitutionem, ab exteris gentibus defensam, quae manu, ut ita dicam, centralis gubernii varias imperii partes quodammodo emitat, neque tamen Turcici Principis — (ecquid *Sultani* verbum non induxerimus?) — imperium imminuat. Huiusmodi consilia, quae finem fortasse internis seditionibus tandem aliquando allatura erunt, ab Europae guberniis, dum scribimus, exanimantur; dumque videntur plerisque iri probatum, dictitant ab eo ipso fore ut respuantur, in cuius utilitatem sunt excogitata.

Ut denique de Libyco bello sermonem aliquem faciamus, novam Italorum victoriam recolemus ad Zuara urbem, quam, (ac deinde Regdalin, Giamil et Menscia oases ab hostibus desertas), occuparunt. Quum autem, hisce locis munitis, Sidi-Said collis praesidio non amplius indigeret, ab eo Itali recesserunt.

\*\*

## Mauritanae res.

In Mauritania novarum rerum ordo initus est Mulay Afid Principe abdicante regnum, et in Galliam proficiscente, ut ibi privatus victurus sit. Ei successit Mulay Iussuf frater, qui iureiurando pro-

misit, se foedus servaturum quod antecessor Fez in urbe cum Galliae legato Regnault firmavit. Sed tamen huiusmodi Mauritanae quaestionis solutio satis haud videtur Hispaniae satisfecisse, timenti ne Affidii abdicatio eventibus praeludat, unde Gallorum auctoritas summa rapide fiat, magno cum Hispianicarum rerum detimento. Neque Mauritani omnes factis acquiescissemus nunciantur; ita ut facile praevidere liceat inquietas res illic diu adhuc permansuras.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** concordia duorum coetuum legibus ferendis quum obtineri non potuisset circa leges de Panamensi fretu ac de Commerciorum tribunal, novis tum Praesidi tum deputatis proxime eligendis decisio delata.

In **Sinis** nationalis qui dicitur coetus vehementer in administratorum collegium protestatus est, quod, tyrannorum more, capit is sine iuridica inquisitione damnavit imperatores duos de coniuratione in rem publicam accusatos.

## PER ORBEM

Die VI mens. Augusti MCMXII, Petrowski in insula Petri illius, Russorum Caesaris cognomine Magni, splendidae aedes incendio valde pessundantur.

— d. VIII Comensem Italicam provinciam atrae procellae et eluviones vastant.

— d. IX ob pyrogranae depositum noctu ex improviso exustum ad Portum Principis, Haitianae civitatis urbem, domus late exutiuntur, quassantur, incendiaque ad ipsas aedes rei publicae praesidis Lecomte afferuntur, qui, via quavis effugii sibi interclusa, inter flamas heu! vitam amittit.

Eadem die incenditur quoque grisou gasium in fodinis ad Germaniae oppidum Gerthe, cuniculariisque centum et ultra lucis usura misere eripitur.

— d. XI immanis terrae motus Hellesponti regionem concutit, oppida solo aequat, quindecim millia hominum tecto privans, multasque victimas facit.

— d. XIII Lutetiae Parisiorum, septuaginta annos natus, vita fungitur Iulius Massenet, musicae artis magister inter Gallos nostris diebus praeclarus, iureque meritoque maxima populari aura, inter exteros quoque, donatus. Pulcherrima eius operum

recensentur *Cendrillon*, *Werther*, *Thais*, *Manon*, *Don Quijote*; quae quidem monumentum aere perennius ei constituent.

— d. xv Stresae in suburbano pie ac placide obit Elisabeth, Ianuensis Ducissa, Italici regis avia ex matre. Ioannis, Saxonum illius regis doctissimi, filia, Dresdae ortum duxit d. iv mens. Februarii MDCCXXX, nupsitque Ferdinando, Sabaudiae Duci, Emmanuelis II regis fratri, d. xxx mens. Aprilis MDCCCL, quo viduata est d. x mens. Februarii MDCCCLV, Margarita ac Thoma filiis sibi relictis. Post annos aliquot iugalibus vinculis sese iterum devinxit cum Marchione Rapalli, qui an. MDCCCLXXXIII mortuus est.

— Constantiae, aetatis suae anno octogesimo primo, supremum explet diem Schleyer ille, qui novum «internationalem» sermonem *volapuk* inter gentes inducere diu, sed inutiliter, conatus est.

— d. xx tenax propositi vir alter Londini morti occubuit, Gulielmus Booth, cuius «exercitus a salute», quem ipse constituit, si in aliqua deliramenta nonnunquam incidit, temperantiam praedicans humanitati tamen inutilis non omnino evasit.

— d. xxi Londinensis telegraphi sedes et ipsa grave incendium patitur, cuius causa telegraphicum commercium cum continentali Europa, cum Americae Anglicisque provinciis aliquot horas interruptum est.

— d. xxvi Manzini, aviatoriae Italicae cohortis subcenturio, ad Tripolim, cum aeronavi sua, ex improvisa machinae laesione, in mare praecipitat, seque molis implicationibus dissolvere non valens, fluctibus malo fato submergitur.

— d. xxvii flamme fortuito exortae Ouzoun, Tcharchi ac Taehakalè, Constantinopolitanos vicos, comburunt.

— d. xxviii Uriconii, Romanae quondam urbis in Anglica hodierna provicia Shropshire, reliquiae magni momenti repertae esse, Londino nunciantur.

— d. xxix atrae procellae in Anglia immensa damna apportant.

rarum orbis exceptit, atque ideo Constantiū Restitutorem felicium saeculorum salutavit.

Ipse enim, mortuo patre, qui Caesar Britanniae et Galliae dominabatur, a militibus imperator renuntiatur. Quamvis nondum sapientia christiana esset instructus, christianos tamen diligebat; et pluries horum fidem periclitatus, in Gallis et Britannia, eorum persecutionem comprimi iusserat; atque ita christiani haud aliter ac ceteri cives habebantur. Claras de hostibus victorias retulit; sed omnium celeberrima illa memorabitur, quam de Maxentio, Maximiani filio, eiusque in imperio successore, adeptus est. Ob avaritiam et crapulam omnibus hic despectui habitus; atque adeo omnes undique implorabant, ut in libertatem Romanos vindicaret; nec Constantinus, onus sibi traditum, vel armis, evertendi osorem generis humani eumdemque religionis, detrectavit.

In magnis illis christianaē reipublicae temporibus, ad gubernacula rerum sedebat S. Melchias, qui multa tulit, imperante Maxentio. Ipse optime dicere de se potuisset, quod multis post annis Leo XIII scriptitavit:

... certamina longa, labores,  
ludibria, insidias, aspera queaque tuli.  
At, fidei vindicta, non flectar: pro grege Christi  
dulce pati, ipsoque in carcere dulce mori.

Dum multis premitur angustiis et christiani ad incitas redacti esse videntur, ecce Constantinus, qui divino numine fretus, infenso animo, Urbem contra Maxentium petit. Etiamsi numero inferior, victurus tamen pro certo esse reputabat, ac propterea congregati cum hoste summopere nitebatur. Ipse, nullo repugnante, est potitus Mediolano, Brixia, aliisque urbibus, quae ad imperatoris clementiam confugerunt; quo facto, gravibus impedimentis paene absolutus, ad Urbem contendit.

Maxentius tunc demum obvius ei cum exercitu fit trans Tiberim, in quo pontem versatilem iecit, utrumque ita seiunctum, ut duobus cum cuneis facillime adiungere ac firmare posset. Eo enim spectabat, ut, si illac Constantinus transire studeret, solutis ligaminibus, pons seiungeretur, et ipse cum suis sine effugio in aquis periret. Ut sibi Deos propitiaret, mulieres eis puerosque obtulit, et quum altaria victimarum sanguine fumarent, homo ferus in miserorum visceribus omen felix investigabat. E contrario Constantinus suos prece dispositus et Deo fretus in hostem impetum fecit. Strenue utrumque pugnatū est; sed Victoria, diu anceps, tandem Constantino arrisit. Maxentius, quum fortissimum quemque suorum obtruncatum vidisset, fuga salutem petiit; sed pontem transiens, quem ipse in hostium perniciem fecerat, propter fugentium impetum et multitudinem, ruptis vinculis, in Tiberim cum equo praeceps submersus est. Altero die corpus eius, in fluminis caeno detentum, reperitur. Quare

## CONSTANTINIANI PACIFERI DECRETI MEMORIA

### LATINE IN SCENIS ACTA

Dies illa felix proximat qua Constantinus, Constantii Chlori filius, mox Romanorum imperator, clausis Romae Iani ianuis, pacem hominibus retulit, et in primis Christianis. In horum enim commodum edictum illud composuit, quod Mediolani in vulgus prolatum, incredibili christiani Nominis laetitia, universis ordinibus adclamantibus, totus ter-

Romani in libertatem vindicati, maxima laetitia Constantimum recipiunt, qui Romam triumphans invehitur. Eum in Urbem gloriose introeuntem, Sanctus Melchias, Pontifex Maximus, sorte mira recepit.

Deo agens gratias de hostibus superatis, Constantinus praecipit ut Crux, pignus iam divini praesidii, per Urbem feratur, et in Capitolio fulgens cunctis gentibus testetur, Christum Deum insignem de adversariis victoriam retulisse.

Haec omnia fiebant anno tercentesimo ac duodecimo. Pacatis tandem hostibus, dum S. Melchias in augusta sede diu placideque interfuit populo christiano, ipse, insequenti anno, Mediolani immortale idemque salutare edictum vulgavit, quo et Christiani ceteris civibus pares iisdemque legibus uterentur. Quae cum ita sint, peropportunitum vi sum mihi est hanc insignem aetatem versibus senariis celebrare, atque ob oculos quasi lectorum ponere.

Haec autem actio omnis historica, ab historiae gravitate ac disciplina nunquam discedet.

Sic et *Vox Urbis* Constantiniano Decreto suum honorem hac etiam ratione persolvet.

Io. BAPT. FRANCESIA.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cipiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

*Kebesa - Obraz w swiatyni Kronosa. — Z greciego przelozyl WŁADYSLAW LUDWIK POLOBINSKI. (Nowy Sacz, 1912).*

P. GILLET O. P. *L'educazione della coscienza.* Römae edid. Desclée et Soc., 1912. (Ven. lib. 2,50).

## IOC I

### Memor florentis aetatis.

Multi anni sunt, quum civis meus, delectus causa, una mecum conscriptus, etiamsi non despiceret, quam longus esset nasus, par tamen est habitus sustinendo oneri militiae. Idem interrogatus quonam in ordine copiarum vellet merere: — « Iubete, inquit, me inseri equitibus; ita enim si minus ipse, at cernet equus quas sit incedendum ».

\*\*\*

### E discipulo Magister.

Photius doctus ut videatur, tertio quoque verbo aliquid latine effutit: quia vero in latinitatem insigniter

peccat, risum movet audientibus. Paullo ante meridiem ambulans in foro, quum tirunculo festinantius schola egredienti dixisset: *Ubi vadis?* ille opinione celerius, ad quaerendum pro re nata adverbium *quo*, se contendere respondit.

TITUS CURTIUS.

## AENIGMATA

I.

I (vulgo REBUS).

BINA IV  
BINA

II.

Vix natus, patrium profugus postponere caelum  
A fatis cogor, qua mihi saeva nocent.  
Ad patrios regredi nunquam sperabo penates  
Donec ero in mundo, donec et aura datur.  
Servio in orbe viro, qui grato haud pectore pollet  
Absque auro; multo munere fungor ego.  
Illius si calco lares, excludor ut hospes:  
Clauditur in faciem ianua saepe meam.  
Propterea infelix vado peregrinus et errans:  
Ambulo per pratum, per nemus omne feror.  
Ut fatuus plantas ultro citroque movebam;  
Certo stare in loco non mea planta potest.  
Esse scio, qui sponte paret mihi pectus apertum,  
Quum prodire auram cernet ab ore meo;  
Sed proprio motu luero mihi pectora pandit,  
Exilii motus non pietate mei.

AUG. EIRO.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:**

ALOISII CLASII  
LUSUS PASTORALES  
(Latine vertit IOANNES BATTANI)

Aenigmata an. XV, n. VI proposita his respondent:

1) Verba inter puncta vim inter dum orationi super ad dunt. Hoc est: Verba interpuncta vim interdum orationi super addunt.

2) Vena - verna.

Ea rite soluta miserunt:

Claudius Lucensis - Iac. Fortina, Arona. — P. C. Peltenburg, Soesterwonde ad Lugdunum Batavorum. — Lud. Kobierzycki, Leopoli. — Lad. Lud. Podobinski, Neo Sandecia. — Ad. Kozlowski, Petricovia. — I. Ortiz, Morelia. — F. Arnori, Mediolano. — A. Bounin, Aureliano. — Rich. Brondel, Brugis. — Lud. Goux, Bituricis. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — Lud. Dubois, Massilia. — Fr. Salvatore, Syracusis. — Petrus Tergestinus - I. Martins, Philadelphia. — Mart. Dunne, Neo-Eboraco. — F. Wawer, Marianopolis. — Georg. Archambeault, Quebeco. — F. X. M., Drepago. — P. Prado, Venetiis. — Alex. Pintauro; Vine. Starace, Neapoli. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio. — Barth. Ferraris, Aug. Taurinorum. — F. Ricci, Florentia. — Nie. Lagumina, Panormo. — Alois. Venti, Bononia. — Rich. Müller, Berolino. — Nic. Endrigi, Salisburgo. — E. Burg. Monachio. — Frid. Horwath, Vindobona. — Raim. Silvan, Londino. — Ant. Witheside, Dublino. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — Ant. Masia, Terragona — Clem. Fiard, Curia Rhetorum. — R. Richi, Traianopolis. — Iac. Menendez, Madrito. — Iac. Gomez, Caesar Augusta. — Alois. Cappelli, Senis.

Sortitus est praemium:

ALBERTUS PERRAUD,

ad quem missa est IOANNIS FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE, ex officina Societatis Editricis Romanae.

# ANTHEA

(7)

**(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).**

Ceterum quae subiecta oculis fuerant ita mulieris animum affecerant, tam alte insederant menti, ut ab earum rerum cogitatione aut sermone vix abduci posset. Intento ore asidebat pater nec obiiciebat quidquam: interdum de viri doctrina percontabatur quae-dam, irrito plerumque studio, quod explicari a filia non plura possent, quam quae a Pontio Pilato accepisset.

*Et iam nox humida caelo  
Praecipitat, suadentque cadentia sidera sonnos.*

Itaque, remotis arbitris, quieti se tradit mulier. Ecce autem nondum plane sopita, sive aurium ludibrium, sive vera res fuit, audire sibi visa est effusum per auras concentum mire flebilem, his modis:

*E caeli gremio nostras deductus in oras,  
Collibus aeternis genitus, stirps alta Parentis  
Aequaevi, intactae soboles spesque unica Matris,  
Ederet e molli cum primum cespite florem  
Halantemque avidas calicem proferret ad auras,  
Excudit insano correptus turbine. Mutus  
Cuncta dolor terrorque tenet, pavidusque refugit  
Grandia naturae miratus funera Titan.  
Eheu nutantem concussis axibus orbem  
Effugere, et caelum pallenti luce cruentum  
Quis dabit? Adsitis, Superi, vastamque ruinam  
Aeternis sufferte humeris: quo pondere tanta  
Iam premitur moles? quae nunc extinguitur heu lux? (1)*

His erecta vocibus diu haesit, multa animo agitavit, uberes effudit lacrimas, donec ignota quadam consolatione perculta ac quasi fatigata in somnum decidit.

Ubi novus illuxit dies, omnium fulgidissimus, dormientem excitavit puerorum ac virginum, ut videbatur, chorus, ea gratia vocum tamque suavi sono, ut putares canere inter auras Charitum concordiam:

*Funde Sion carmen: salve mihi splendida Solis  
Purpura; salvete o virides in collibus herbae  
Et gemmae roris zephyrique tepentis odores.  
Quam serpit dulcis circum praecordia sanguis!  
Instaurate aras, dabimus mox thuris odores  
Mundaque purpureo spargemus limina flore.  
Funde Sion carmen: longae post tempora brumae  
Impia silva ruit, iesseia germinat arbor.*

(1) Hos et insequentes versus, quemadmodum alia non pauca, suo marte scriptor latinus finxit.

Quo cantu delectata mulier risit tam blandum, ut nihil ea forma posset cogitari pulchrius. Adiere parens et coniux, quibus nullae fuerant auditae voces, admiratique oculos clariores stellis extra lunam fulgentibus et roseo colore suffusas genas, suismet oculis detrectabant fidem. Iamque in spem novam erectus animi pendebat Cinna, deberetne humi se prosternere diisque agere immortalibus gratias. Verum, quum in eo esset ut poplites fletenter venerabundus, revocatus est ab uxore petente ut in atrium sub umbra palmae deferretur.

Ibi aliquot horas spatiati viri periculum meridian temporis anxii exspectabant, eo magis quod videbatur aegra in dubium soporem incidisse. Cinna, qui omnia facilius quam moram illam perpeti poterat, metum inter et spem, dormientis anhelitus pene numerabat singulos. Fit tandem aliquando meridies. Anthea, repente rese-ratis oculis:

— Arripe — inquit — me manu, Cai.

Expalluit Cinna, ratus umbras terrificas de more adesse mulieri.

— Videsne — inquit Anthea — prodeuntem lucem illam meque petentem?

— Obsecro: averte inde oculos.

At illa gestienti laetitia:

— Ecce lucem — exclamat. — Agnosco hominem: Ipse est: en mihi subridet: transfixas ad me tendit manus. O inauditae misericordiae virum, imo Deum! Ipse me sanat: Ipse me vocat.

Ad haec Cinna tremebundus:

— Eamus — inquit — eamus ad Ipsum.

Desiluit lecto mulier iis animi et corporis viribus, quibus usa fuerat antea nunquam. Simul autem caeco quadam impetu decurrentibus obviam fit Pontius Pilatus, citato cursu anhelus abstergensque frontem sudore diffluentem.

Is ancipiti inter cachinnum et stuporem vultu:

— Audistisne? — inquit. — Excitatum aiunt a mortuis Nazarenum.

Cui Anthea:

— Scimus; quaeso, ne moras afferas. — Arreptaque viri manu: — Eamus — inquit — eamus ad Ipsum!...

P. ANGELINI.

FINIS.

